Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Adm. Illvstris Ac R.dissimi Domini D. Fr. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini Ord. FF. Prædicatorum

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, Anno M.DC.XLIX.

§.11. Sicut per buccellam arboris vitæ Paradisi diabolus in homine mortem produxit animæ spiritualem, ita Christus in cibo SS. Sacramenti vitam illi tribuit spiritualem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53084

Visual Library

hunc panem viuet in æternum. Cibus ergo qui tanta veritate continet & dat quod promittit, nuncupetur *Lac ſine dolo*, quandoquidem veriſſime vitam Dei communicet: *Qui manducat me viuet propter me.*

Nat. 13. in Cant. XIV. Oculi Chriſti lacte ſunt loti. Cant. 5. 12.

Subtiliter notauit D. Greg. Nyſſenus declarans quare oculi ſponſi dicantur lacte loti: *Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ.* Et ait quod inter humida & liquida hoc habet lac ſingulare quod reliqua velut ſpecula luci diſſima figuram repræſentent obiecti illis propoſiti: ſi namque coram hydria aquæ ad eius marginem figuram colloces Regis, illam tu inſpiciens iudicabis vere & realiter ibi adſtare Regem: lac autem nullum repræſentat obiectum ſibi propoſitum. Hinc inſignem conſequuntur laudem oculi Chriſti ſponſi Eccleſiæ quod dicantur lacte loti, quo datur intelligi, nihil eorum quæ poſſidet, aliter poſſe repræſentari, quam in ſe continet: ita vt nihil ſit in eo fraudulentum, nihil doloſum, nihil erroneum, & quod eorum omnium euidentem non demonſtret veritatem; vnde cum lac ſymbolum ſit veritatis eo quod obtutui noſtro non aliud offerat quam in ſe habet, optime quadrare poteſt Diuino huic cibo vt lac nuncupetur ſine dolo, & merito nobis hoc proponit D. Petrus, vt deſideremus illud, appetamus & quæramus: quia nobis non ſpondet, nec tribuit minus eo quod in ſe complectitur, Diuinitatem ſc. vitamque Dei: *Qui manducat me viuet propter me.*

§. II. *Sicut per buccellam arboris vitæ Paradiſi diabolus in homine mortem produxit animi ſpiritualem: ita Christus in cibo SS. Sacramenti vitam illi tribuit ſpiritualem.*

☞ 39. Opuſ. 58. c. 6.

DIu. Thom. nonnullas profert rationes quibus probat cur Chriſtus corpus ſuum ac ſanguinem hominibus tradiderit ſub ſpeciebus panis ac vini: & vna inter illas hæc illius eſt, vt neceſſitati conſuleret generis humani: etenim iuxta illam ſibi in remedium poſtulabat dari à Chriſto Diuinum hunc cibum in alimentum. Huic diabolus ſemper adlaborauit, vt pro viribus ſuis opera Dei deſtrueret. Conſpexit Dei principale opus fuiſſe creationem hominis propriæ vitæ ſuæ inſpiratione adornati: hæc enim erat illa rectitudo, qua illum effecerat perfectiſſimum, & velut præſidem dominumque creaturarum omnium abſolutum: *Fecit Deus hominem rectum.* Exponens autem D. Anſelmus in quo conſiſteret illa rectitudo ſic ait: *Creauit Deus hominem rectum, id eſt cum rectitudine voluntatis.* Et D. Thom. proſecutus hanc rectitudinis declarationem qua voluntas effulgebat, ait: quod in ſtatu iuſtitiæ originalis, in quo Deus hominem condidit, iuxta communiorem ſententiam, habuerit homo potentias ſuas inferiores ſubditas rationi & voluntati, per quam illæ regebantur: & cum ratio perfectè ſubiecta eſſet Deo velut Domino & creatori ſuo, hinc ſequebatur hominem illa rectitudo voluntatis: vnde in homine omnes eius potentiæ quiete interiori & pace gaudebant, vt nulla earum ab eo deflecteret quod illi Deus proponebat: atque per hoc vita viuebat perfecta, nullius indigus: in hac namque dignitate conſtitutus ſimilis admodum fuit, multamque habuit proportionem cum vita Dei: vt autem in ipſo illam reliquæ cognoſcerent creaturæ, ad ſtatum prouexit illum reliquis digniorem, vt omnes velut illi eiuſque vicario vniuerſalis domini Dei obtemperarent, & ipſe velut earum omnium Dominus illis imperaret, eas regeret & diſponeret. Itaque voluit vt omnes in homine cognoſcerent eminentiam & dignitatem vitæ Dei, quam in illo ſtatuerat, ac per eam ſibi ſimilem creauerat. Ita declarat hoc Spiritus S. quando creationem deſcribens primi hominis, vt in quo cõſiſteret illa Dei ſimilitudo: *Faciamus hominẽ ad imaginẽ & ſimilitudinem noſtram:* ſubiungit quaſi ſignum huius ſimilitudinis expreſſiuum vitam digniorem, in eo clareſcentem ſuper omnes creaturas earumque eſſentias, in auctoritate præſidiaria qua cæteris eminebat, ſecundum illam quæ in Deo relucebat, ex vniuerſi totius gubernatione: *Et præſit piſcibus maris & volatilibus cæli & beſtijs vniuerſæq; terræ omnique reptili quod mouetur in terra.*

Eccle. 7. 30. Lib. de Concord. grat. & Libe. arb. p. 158. & 143. 1. 2. q. 85. ar. 5.

I. Creauit Deus hominem rectum.

II. Homo cæteris creaturis eminentior.

Gen. 1. 26.

Opus igitur hoc vidit diabolus & inuidit, vitamque hanc in homine præcellentem: vnde liuore ſtimulatus conatus eſt illam euertere, & mortem in hominem introducere, ac vitam hãc adeo præſtantem extinguere: eo fine perſuaſit Euæ vt fructum arboris vetitæ guſtaret, quam Deus in medio paradiſi collocauerat. Audiuit ſerpentis vocem Eua quam illi proponebat tot circumſtantijs ornatam bonorum, dulcedinis ac proprij commodi, credidit illa, comedit virumque traxit in conſortium & perierunt & nedum promiſſa illis facta non ſunt aſſecuti, imo

III. Diabolus opus Dei deſtruxit & vitam homini ſuſtulit.

vero omnem illis à Deo datam perfectionem & naturæ decorem perdiderunt: inſuper illa Dei vita fraudati ſunt, qua illos illuſtrauerat & extulerat, vt autem reliquæ creaturæ hanc in illis ruinam perceperunt, in quibus illa dignitas vitæ Dei vltra non eminebat, vnanimes in illũ inſurrexerunt, & quam hactenus illi præſtiterant, negarunt obedientiam.

Paſſus eſt ergo homo illius vitæ iacturam, & per eam introduxit mortem diabolus: ita Spiritus S. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum*: & hanc exponens D. Auguſt. omnia enumerat mala in quæ per mortem miſeri corruimus: *Si Angelus de proprio ruens paradiſo, non eſſet auditus, non præcipitaremur in mortem, ſed venit de cælo lapſus ſerpens foras, & emiſit venenum de proprio, locutus eſt de ſuo, guſtate & eritis ſicut Dij, & illi appetentes quod non erant, amiſerunt quod acceperant, ſc. vim intellectuum, vitæ iuſtitiam, & moriendi poſſibilitatem.* Itaque ex guſtu cibi vetiti nos mors apprehendit & euerſio vitæ quam Deus ex ſua nobis inſpirauerat. Vt igitur homo hanc recuperaret ruinam & Dei vitam reaſſumeret illo fructu vetito perditam, cum iam ad ingluuiem illius buccellæ inclinatus, minime eſſet diſpoſitus, atque ad cuiuſlibet alterius appetitum præparatus, expediebat ex mente D. Thom. vt per aliam recuperaret quod per illam perdiderat: cumque ille cibus non inferior eſſet ipſâ Dei vita, alia illi eſca dari non poterat quæ ipſo Deo eſſet inferior, aut minus quidquam quam ipſam Dei vitam contineret: vnde alia illi eſca dari non potuit quam Chriſtus Dominus, corpus eius precioſiſſimum & ſanguis Deificatus: nam cum in ſe contineat vitam Dei: *Et ego viuo propter Patrem*, dum in illo hanc eandem vitam comedit, ſequitur per incorporationem cibi, vitam Dei illum obtinere: *Et qui manducat me viuet propter me.*

Sap. 2, 25.

Citatur à D. Thom. Opuſc. cit.

IV. Quomodo vita reparari deberet.

V. Per vitã Chriſti in SS. Sacramento.

Hic eſt Panis SS. Sacramenti in quo latet Chriſti Domini corpus, & vita Patris illius, & inde oriri debebat vita noſtræ iuſtificationis & vitæ Dei participatio: *Initium iuſtificationis & vitæ incipere debuit à cibo ſc. ligno vitæ id eſt corpore dominico.* Hoc epulo panis huius Diuini nobis per Deum (etenim in illo nobis datur) vita reſtituitur quam amiſeramus per doloſam cibi illius vetiti propoſitionem, cuius comeſtione dæmon nos morti ſubiecit: *Patres veſtri manducauerunt Manna in deſerto & mortui ſunt*: cum enim Manna non contineret Dei vitam, quam panis hic cæleſtis complectitur ſub ſuis ſpeciebus, non potuit antiquis noſtris patribus miniſtrare vitam Dei qua indigebant: & ita quantumuis in deſerto Manna veſcerentur Angelico licet miniſterio compoſito, mortem nihilominus non euaſerunt, quia fructum æternæ vitæ non guſtarunt, donec buccellam panis huius cæleſtis manducauerunt: Chriſtum Dominum intelligo: fuit enim hic morſus inferno: *Morſus tuus ero inferne*: ſecundum quod Chriſtus deſcendit ad partem illam ſanam veterum Patrum in inferno, illis fuit velut morſus, in quo aſſecuti ſunt vitam æternam, ad quam illos reſtituit vt ipſi Chriſtus à Patre ſuo acceperat: & cum illum habeamus, atque in hoc cæleſti cibo manducemus iam incipimus vita æterna gaudere nempe vita Dei, ſecundum quod in illo quoddam acquirimus ius ad vitam gloriæ, per illam quam habemus in poſſeſſione, dum SS. ſumimus Sacramentum: *Hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur*, & ſic ille cibus mortem deſtruit, inquit Doctor Angelicus, quia nobis reparat vitam illam primam quam à Deo accepimus, ſicut enim in illo nobis tribuitur Deus animæ vita perpetua ita in hoc Diuino cibo eandem Dei vitam obtinemus.

VI.

Vt autem hoc exponat D. Auguſt. magiſque declaret quam neceſſarius nobis eſſet cibus qui Deum contineret, vt ita vitam illam perditam recuperaremus, comparationem ſane admirabilem profert animæ cum Deo, atque idem quod agit anima corpori nempe dare vitam, agit Deus ſe animæ illi communicans in hoc pane cæleſti, vt vitam illi det ſpiritualem & Diuinam, quam in ſe conſeruaret ad propriæ vitæ ſuæ defenſionem. Do eius verba: *Sicut enim anima vita eſt corporis, ſed non viuificat ſine cibo corporali; ita Deus vita eſt animæ, ſed non viuificat illam ſine cibo ſpirituali, id eſt ſine verbo Dei; & ſic hæc & illa natura hominis ſibi diſſimiles diſſimilem cibũ habuerunt, & alio modo & longe ab inuicem comederunt, nec cibus corporis congruebat ſpiritui, nec cibus ſpiritus corpori.* Requirebatur quo Deus vita propria viuificaret animam, vt ſe daret in cibum ſpiritualem nempe Verbum Dei hominem factum; quia aliter non poterat Deus illi vitam ſuam communicare, nec illam viuificare, ſicut nec etiam anima vita eſt corporis ſine corporali cibo quo conſeruetur, ita vt ſine illo non viuificetur: vnde vt ſit illi vita & illam communicet hoc cibo vtitur quo ſecuram habet vitam quam eandem ſecum

VII.

dat

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dat, dum vnitur & copulatur corpori quod
informat & viuificat: ita ſeruata eadem
VIII. Vita Dei in nobis per Chriſtum eſt ſectus. proportione Verbum Dei vitam tribuit animæ
ſe homini incorporans, cui ſe præbet in ſpecie
panis & figura cibi, vt per illum certam illi red-
dat vitam ſpiritualem qua viuit. *Ab æterna mor-
te liberat* (ait D. Thom.) *merita bona vitæ multi-
plicat, ad patriam vitæ deducit, ad æternam vitam
corpus reſuſcitat.* An non effectus vitæ Dei multi-
plicat qui ſe nobis exhibet in SS. Sacramento?

IX. Mortem expellit. Hoc primò agit vita, mortem expellit, &
conceſſo quod cæleſtis hic panis nos à morte
liberet, & non à qualibet in genere ſed æterna,
in confeſſo eſt quod in ſe vitam contineat æter-
nam quæ eſt vita Dei, & hac communicans
fruitur. *Hic eſt panis de cælo deſcendês vt ſi quis ex
ipſo manducauerit non moriatur.* Secundò merita
X. Merita multiplicat. multiplicat ad beatitudinem, ſecundum quod
hoc Diuino Sacramento charitas augetur & per
illam merita, quibus reſpondent diuerſi gradus
gloriæ in cælo. *Panis quem ego dabo caro mea ieſt
pro mundi vita* nimirum, interprete D. Thom.
quia datus eo fine vt vitæ ſanctæ merita auge-
antur. *Sicut enim puer paruulus per cibum corpo-
ralem creſcit magnitudine, robore & decore: ſic fide-
lis per cibum ſpiritualem proficit meritis bonæ vitæ:*
Io. 10. 10 ſic prima veritas Chriſtus: *Ego veni vt vitam
habeant & abundantius habeant*: quo ſignificat
quod daturus ſe nobis in cibum ad vitæ ſpiri-
tualis conſeruationem, ad quam nos morte ſua
reduxerat, in quantum per illam morti vires
eneruauerat: ita quoque per illum nobis
communicaret eiuſdem incrementa: etenim ef-
fectus hic proprius eſt cibi qui comeditur vt
dum nobis ſeruit ad alimentum, etiam vitæ vir-
tutem adaugeat: ſic audio pſallentem Dauid:
Pſ. 17. 3. & 41 *Multiplicabis in anima mea virtutem.*

XI. Euehit ad gaudia. Tertiò tantæ panis hic Diuinus eſt effica-
ciæ, vt nos euehat ad gaudia vitæ æternæ: hoc
eleganter expreſſit D. Amb. effectum deſcribens,
quem operabatur in filijs Iſrael per deſerta gra-
dientibus cæleſte hoc Manna figura SS. Sacra-
menti, quod Deus daturus erat nobis peregrinis
per miſeræ huius vitæ ſolitudinem oberranti-
bus, quod talem illis virtutem ſuggeſſit vt in il-
la non defecerint peregrinatione, ſed eo vſque
roborauerit donec illos in terram introduxiſſet
XII. Cuius figura eſt Manna. promiſſionis Audite D. Ambro. *Dominici corporis
figura præceſſit, quando Dominus in deſerto patribus
Manna pluit: quia ſicut ille panis populum per de-
ſertum ad terram promiſſionis duxit: ita hæc eſca
cæleſtis fideles huius ſæculi deſertum tranſeuntes in
cælum ſubuehit, vnde viaticum rectè appellatur,
quia in via reficiens, in patriam vſque perducit.*
Non inferior eſt illa virtus quam cibus hic cæ-
leſtis fidelibus exhibet, quinimo multo ſuperior:
quandoquidem in deſerto mundi huius pere-
grinantes ita corroboret, vt ad gaudia ſuſtollat
æternæ beatitudinis vnde viaticum &c.

Vt admirabilem veneror hiſtoriam quam de XIII. Et panis ſubcinericius Eliæ.
Elia ſcribente Spiritu S. didici. Vir hic afflictio-
ne nimia turbabatur ex nuntio quo ſæua illa
mulier & Regina Iezabel mortem illi intenta-
uerat: vt autem irritatæ mulieris inſidias minaſ-
que declinaret, quibus vir alioquin ſanctiſſimus
poteſt anxiari, ex conſilio montem petijt, & de-
ſerta penetrauit, quæ dũ perambularet, die quo-
dam ſolus exiſtens & imaginatione multa vol-
uens, mortis minas apprehendit & nimio ex iti-
nere fatigatus animo viribuſque collapſus eſt:
vnde tantis oppreſſus anguſtijs præ vita mor- 3. Reg. 19. 4.
tem elegit. *Petiuit animæ ſuæ vt moreretur & ait:
ſufficit mihi Domine, tolle animam meam.* Domine
arma projicio, vltra non patiar, heu mors quan-
do venies! Hac igitur afflictione & laſſitudine
proſtratus ſomno corripitur ſub vmbra iunipe-
ri, cui confeſtim apparet Angelus, dormientem
excitat & famelicum ad eſum prouocat: *Surge
& comede.* Redditur ſibi compos, oculos conij-
cit in locum vbi caput reclinabat, & ecce panis
ſubcinericius & vas aquæ. Ex pane comedit &
bibit & quidem bis iuxta Angeli monitum, tan-
tamque hauſit ex illo cibo virtutem ac robur, vt
ſi prius ad vnius diei iter ſe viribus doleret infir-
mum, modo panis huius viribus confortatus iter
conficere potuit quadraginta diebus & totidem
noctibus, donec pertingeret ad montem Dei
Horeb. *Qui cum ſurrexiſſet, comedit & bibit, &
ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta
diebus & quadraginta noctibus vſque ad montem
Dei Horeb.* Itaque dicere licet quod virtus illa ac
robur ex pane illo ſubcinericio quem comedit,
illum duxerit ad montem Dei. Trahit D. Tho.
hanc hiſtoriam allegorice ad SS. Sacramentum,
cuius figuram panis hic ſubcinericius expreſſit.
Elias animam præfigurat, quæ vinculis ligata XIV.
corporis viuit in hac mundi ſolitudine in eius Applica-
deſerto ſolitaria, ad interiora pœnitentiæ ſece- tur animæ.
dens, ad quam confugit timore perculſa pro-
priæ concupiſcentiæ Reginæ maledictæ quæ
ſpiritum perſequitur non minus atrociter quam
impia Iezabel Prophetam Eliam. *Caro concupiſ-
cit aduerſus ſpiritum:* nec quidquam eſt quod ita
hominem proſternat ac pœnitentia & aſperitas

ieiunij, abſtinentiæ & mortificationis: ad hoc mundi deſertum ſe retrahit, vt ab eius ſe terriculamentis eripiat, qui propriè vocatur deſertũ, quia parum admodum ab hominibus exercitiũ frequentatur mortificationis, ieiunij, & pœnitentiæ, & quaſi per illam ſe homo coarctat & opprimit, & ſæpe eius aſperitate viribus elãgueſcit, & ad eam trahitur metam vt iam illi vita deficere videatur. Porro ad virium reparationem panis illi porrigitur ſubcineticius, panis inquam SS. Sacramenti per Sacerdotem delatus: eſt enim hic Angelus Domini: per hunc nouam reparat vitam quia in illo vita Dei illi communicatur, nouumque robur infunditur quo iter hoc proſequatur vſque dum perueniat vſque ad montem Dei Horeb. Horeb interprete D. Thomo interpretatur. *Menſa*.

42 XV. Vires reſtaurat vt ad mõtẽ Dei perueniat.

Eſt igitur mons hic mons excelſus menſæ Domini, & ſaturitatem ſignificat bonorum gloriæ quibus Deus omnem noſtrum ſatiat appetitum, & implet omne vacuum deſideriorum: *Mons ergo iſte eſt mons menſæ Dei & ſignificat ſatietatem cæleſtis gloriæ:* Mons dicitur ob altitudinem excellentiæ bonorum quibus Deus electos ſuis affatim perfũdit. Panis igitur cæleſtis corporis Chriſti Domini nos confortat nouamque vitæ noſtræ virtutem adminiſtrat, quatenus in itinere pœnitentiæ quadraginta dierum & noctium id eſt toto vitæ noſtræ decurſu homo nõ deficiat vſque dum ad montem perueniat beatitudinis, & congrue dicimus quod virtus ac robur panis huius cæleſtis iam ſumptus hominem deducat ad ſummum gloriæ gaudium. *Comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius*, quia panis eſt qui *ad patriam vitæ deducit*, defert ſecum comedentem ad vitæ patriam id eſt æternæ. *Deducit quouſque veniamus ad altitudinem ſecuritatis, & ſatietatem dulcedinis æternæ gloriæ*.

XVI. Et confirmatur ex facto Eliſæi puerum reſuſcitantis.

Et confeſtim quaſi in confirmationem hujus allegoriæ adducit D. Thom. factum illud Eliſæi, quando defunctum puerum ad vitam reuocaturus ſe illi copulauit, os ſuum ori illius, oculos oculis, manus manibus illius adæquauit nouumque cadaueri calorem miniſtrauit ex corpore viuo Eliſæi per eiuſdem cum illo coniunctionem. Puer hic defunctus (vt credit D. Thom.) eſt anima iuſti quæ laboribus mortificationis & pœnitentiæ aliquantulum deficit vt mortua ſed dũ illi coniungitur corpus SS. veri Eliſæi Chriſti, nimirum dum homini incorporatur in SS. Sacramento, oculos ſuos Diuinos adæquat oculis hominis, quia lucem infundit intellectui, qua ſublimem de Deo aſſequatur cognitionem, qui tanta in illo mirabilia operatur: os ſuum ori hominis ſuperponit, dum guſtum percipit deliſſimæ memoriæ bonorum ſpiritualium, quibus in hoc cæleſti conuiuio delectatur: manus ſuas manibus copulat hominis ob conſeruationem operum virtutis in quibus ſe exercet: etenim continuatio & perſeuerantia in illis procedit ex ipſo ex frequenti communione: & vltimo calor illi communicatur: inflammatur enim affectus animæ igne charitatis qui in hoc SS. flagrat Sacramento: & per vitam Dei quam in ſe complectitur SS. Chriſti Corpus, Dei vitam recipit dignè communicans, cuius calore totus in illa viuificatus ad æternæ gloriæ ducitur beatitudinem.

§. 12. *Ex eo quod Deus in SS. Sacramento copioſam nobis bonorum ſuorum præbeat abundantiam quæ noſtram explent deſiderium; declarauit Dauid nos vitam adepturos Dei in æternum.*

EXpendit D. Cypri. ſtupendum ſane effectũ et [illegible] quem in nobis cauſat SS. Sacramentum, & [illegible] ebrietatem quandam ſupernaturalem ac [illegible] Diuinam, quam operatur exceſſiua bonorum abundantia, quam nobis cum illo Deus exhibet, & nos quaſi extra nos rapit, facitque vt expoliantes nos veterem hominem qui in nobis [illegible] det ex reliquijs peccati primi parentis noſtri, velut ſepultis ſub cinere propriæ noſtræ concupiſcentiæ: vitam inchoemus nouam hominis Diuini, ac ſi per nos antiqua vita carnis ac ſanguinis minime tranſiuiſſet, & ad huius expoſitionem Doctor illi inſignem profert ſimilitudinem, quæ ſumitur à bibente vinum: ei namque qui vino nimis inebriatur, intellectus perturbatur vt iudicet animam per totum ſibi corpus dilatari, omnem à ſe expellit triſtitiam, & alia vita viuere videtur ab ea quam hactenus ducebat. Ita ſimiliter ex ebrietate cæleſti, quam prouocat illi potus ſanguinis precioſiſſimi Chriſti Domini in SS. Sacramento propter abundantiam bonorum cæleſtium quibus affluit, omnem perdit memoriam veteris Adam qui in illo viuebat, & oblitus vitæ ſæcularis ac terrenæ, iam non videtur ille eſſe qui prior erat: vita namque viuit admodum diuerſa, & gaudio ac voluptate plena ſpirituali: non viuit triſtitiæ ſubiectus quam illi prima

pecca-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN